

Recueil des chartes de l'abbaye de Stavelot-Malmedy, 90

(C) IN NOMINE SANCTAE ET INDIVIDUAE TRINITATIS. Gregorius episcopus servus servorum Dei Werinfrido religioso abbati salvam apostolicam benedictionem. Tum summe apostolicae dignitatis apex in hoc divini roboratus nitore | dinoscitur praefulgere, si in acquirendis Dei laudibus sui impensius studebit laboris exhibere certamen. Ob hoc debita nos ejusdem apostolicae pastoralis compellit sollicitudinis cura, quaeque ad stabilienda piorum pertinere | dinoscuntur locorum ubertim promulgare et apostolicae institutionis censura confirmare. Igitur quia postulasti, frater, a nobis, quatinus monasteria a venerabili patre Remaclo in honore sancti Petri constructa, id est | Stabulaus et Malmundarium, sita saltu Ardennensi privilegio nostrae auctoritatis muniremus, et quia justa visa est nobis petitio tua, assensum tibi praebemus per hujus nostri privilegii constitutum | et roboramus apostolica auctoritate atque decernimus secundum antiquorum edictum regum, id est Sigiberti, Chludoui et Dagoberti qui et eorundem constructores fuere monasteriorum, nec non et imperatorum Karoli, Luduwici et Ottonis augustorum, ut loca determinata vel villae aut possessiones quae ab ipsis imperatoribus ipsi sancto sunt traditae et per eum utrisque ecclesiis divisae usibus deserviant monachorum nullique liceat advocato vel in placitis aut casticiis ea infringere, quod et percutimus aeterno anathemate. Praeterea sancimus sicut ab ipsis imperatoribus est diffinitum, ut utrinque in unum e duobus monasteriis confluentibus, monachis habeant sine simulatione, sine exceptione personae, sine respectu pecuniae, secundum sancti Benedicti regulam abbatem eligendi liberrimam optionem, ea tamen praeponderante ratione, | Malmundriensium pace, ut, quia beatus Remaculus, utriusque monasterii constructor et Tungrensium antea episcopus et pastor, maluit in altero eorum, id est Stabulensium, locum sepulturae sibi eligere|, ipsi primam electionis optineant vicem, si apud eos melior meritis et probabilior inveniatur. Si autem non illic sed Malmundarii reperiatur, utriusque loco praeficiendus ab eo potius quam ab externis assumptus intromittatur. Si quis autem, quod non optamus, nefario ausu praesumpserit his quae a nobis ad laudem Dei pro stabilitate jam dictorum monasteriorum statuta sunt refragare aut haec in quoquam transgredi, sciat se | [anathemate innodatum atque cum diabolo et ejus] atrocissimis [pompis atque Juda traditore Domini nostri Jhesu Christi tarthariis incendiis concremandum. At] vero qui pio [intuitu] observator [et custos fuerit], | hujus nostri apostolici constituti, ad cultum Dei respicientis misericordiam a misericorde Deo nostro multipliciter consequatur et beatæ vitæ possessor effici mereatur.

Scriptum per manum Johannis notarii regionarii atramentarii sanctae Romanae ecclesiae, anno dominicae incarnationis DCCCCXCVI^o, indictione VIII, mense junio die II. Bene valete.